



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

De præcepto orationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

25. Advertisti Lector, vel non esse novum prædictum loquendi modum, vel non esse magni momenti, si unum dicendi modum potius sequaris, quam alium?

26. Denique ne quis minus eruditus hæreat in aliquibus ex prædictis, audi quid multi Auctores habeant apud eundem Landrum in decem Decalog. præcept. tract. 4. d. 2. quest. 11. qui quamvis is eos non sequatur, faciunt maxime nihilominus ad institutum meum.

An hoc amoris præceptum obliget per se, pro aliquo determinato tempore?

LEAND. **N**egabunt à fortiori Gaspar Hurtadus, Maldonatus, Iansenius, Io. Sanch. Vasq. & Molina, qui, ut vidimus supra, q. 2. nullam obligationem specialem eliciendi actum amoris supernaturalis agnoscunt. Negabunt & alii, qui id dixerunt, loquendo de obligatione, & præcepto eliciendi actum Fidei Theologicæ, de quo tract. 2. de Fide, d. 2. quest. 30. & novissime id negat Remigius, &c.

Et apud eundem ibid. dict. quest. 2. sic habetur.

An etiam sit speciale præceptum de amore proprio Dei.

LEAND. **N**egandum videtur primum, quia in Decalogo non continetur tale præceptum.

Secundo quia, &c. Et paulo post. Propter hæc ita tenet Gaspar Hurtad. qui citat pro se Maldonatum, Iansenium, & Io. Sanch. & penes illum Vasquez & Molina, & D. Thom. 2. 2. quest. 44. art. primo ad secundum. Hactenus Leander.

Hæc D. Thomæ verba modo ego deprompsi, num. 21. & 22. meis.

Explicatur magis illud (quando non est determinatum tempus implendi præceptum.)

29. Ad illud, quod notare videtur hic, & fortasse alibi Baronius, hoc est, quando non est determinatum tempus, quo aliquod præceptum est actu observandum, non inducere illud obligationem, donec ab Ecclesia determinetur, alia responsio afferenda non est, nisi admonere Lectorem, ut legat Delugo, cujus omnibus perspecta est sapientia, & quem, quia illum Tamburinus hic adducit pro sua hac doctrina, debuerat impugnator accuratè legere. Is ergo querens, quando nam Sacerdotes obligentur Missæ sacrificium offerre juxta illud Christi Domini, Hoc facite in meam commemorationem; sic habet, d. 20. de Euchar. num. 9.

30. DELUGO. Hoc argumentum retorqueri potest adversus P. Vasq. qui late probat, præceptum Christi de confessione extra casum necessitatis fore omnino inutile, nisi simul præcipiatur Ecclesie, ut determinaret tempus illius præcepti divini: eo quod, secus determinatione Ecclesie, nemo posset scire, quando, aut quoties obligaretur ad confessionem. Unde inferit, num. 9. Ecclesiam debere omnino determinare tempus præcepti divini. Similiter ergo præceptum Christi singulis Sacerdotibus impositum offerendi sa-

crificium, inutile foret, nisi ab Ecclesia singulis determinetur tempus, quo obligentur ad sacrificandum. Nemo enim illud præceptum, secus tali determinatione, quando illud præceptum. Unde primum sequitur, Ecclesiam non determinat, prout de facto adducit non esse determinatum, Sacerdotes singulos non obligari ex vi ipsius præcepti divini.

Idem Delugo, de Euchar. d. 16. num. 28.

31. Hinc oritur dubium, quoties debet Eucharistia sumi ex præcepto Christi, præcise omni alio præcepto Ecclesiastico. Aliqui dicunt tertio saltem, vel quarto anno. Ita Suarez & alii. Melius alii, Christum non determinasse tempus, sed reliquisse determinandum ab Ecclesia, quando illius negligentia id exigeret.

Idem de Pœnit. d. 15. num. 39.

Extra mortis vero articulum videtur satis, juxta intentionem Christi, & juxta conditionem hujus præcepti sacramenti Penitentia esse, quod Ecclesia interpretatur, & obliget subditos, ne diu negligent, aut differant confessionem. Ceterum immèdiate, & per se non videtur præceptum, ut aliquo determinato tempore obligare, nisi talia rationem, quatenus voluit obligare pro tempore ab Ecclesia determinando. Nec mirum, cum aliunde præceptum, ut præcedendi confessionem ad Eucharistiam sumendam, jam ex hoc capite obligantur fideles ad confessionem præcepti divini oportebat aliam obligationem seorsim adungere in ordine ad confessionem. Hæc Delugo.

Vides, præter alia, quantum hæc doctina sit in modo loquendi Tamburini paulo ante explicata, quod nimirum aliud præceptum seorsim fieri non oportuit? Iterum tamen proreflor, P. Tamburini nomine, illud, quod sup. n. 19. sum protellatus.

CAPUT IV.

De præcepto Orationis.

1 BARON. III. **E**t quam Christus esse perpetuum, & nunquam interruptam orationem necessitatem, fere negat.

Fere negat? Ubina gentium sumus, ut tam manifestum in somnium proferatur? Et fuit, quæ Censoribus hunc Baronii codicem approbavit: qui facultatem evulgandi concessit? qui dilatabendi per Provincias permisit? Somnium hoc, eadem ratione discutietur, sicuti plura alia ejusdem Baronii, nempe oculis vigilantibus percurrere germanam doctrinæ Authoris doctrinam.

2. TAMB. num. 3. Duplex est, ait, (lib. 2. in Decalog. cap. 4. §. 2. num. 3.) Præceptum de orando, idem quod adorando Deum. Alterum naturale, quia præceptum quod præcepto Ecclesie tenemur bonæ, quæ sunt nobis continentia, procurare, & mala temerè: removere, & contritiones, multaque alia male, & procurare bona, maxime supernaturalia; & præsertim perseverantiam in bono; non possumus nisi ea expectando, & impetrando à Deo. Hoc naturale præceptum confirmatum fuit à præcepto Dei positivo. Deut. 6. ibi: Dominum Deum tuum adorabis. Et ibi: Oportet semper orare, &c. & ubi, Alterum præceptum est Ecclesiasticum, quo obligamur assistere sacro diebus festis; tunc enim unum cum Sacerdote offerunt Deo sacrificium, cum illis adorant, & orant per orationes, adorationesque ab eodem Sacerdote exhibitas.

1 Doct.

3. Docere, adesse Præceptum naturale expectandi, & impetrandi à Deo, & adesse præceptum Ecclesiasticum, quo obligamur assistere Sacro, &c. id, negare est, orandi præceptum? Sed pergit Tamburinus, num. 4.

At quandomodo obligat prædictum naturale præceptum adorandi, vel orandi? Doctores modo citati varia tempora assignare conantur. Ego hic sentio, quod supra, cap. 1. §. 1. à num. 8. dixi de præcepto Fidei, Spei, & Charitatis, non dari scilicet certum tempus, & determinatum, in quo directè obligat, sed esse illud, in quo obligat indirectè, quando scilicet urget necessitas alicujus boni acquirendi, vel mali, seu tentationis averteñdæ, quæ acquirere, vel avertere sine Dei auxilio nos non posse, tunc animadvertimus. Vide ibidem dicta, quæ huc maxime faciunt. Unde sequitur, omittemus eo tempore orare, E. G. tempore tentationis gravis contra Castitatem, non peccare, nisi contra Castitatem; quia solum ex periculo violandi Castitatem, culpabilis est talis omisio Orationis. Ita Lessius, lib. 2. cap. 37. d. 3. sine, apud Castrop l. 1. num. 6.

4. Dicit Tamburinus (obligat, quando urget necessitas boni acquirendi, vel mali averteñdæ) tu vero, Baroni, per negatvam malignantis naturæ dicis, eam fere negare? Conjicio, te bonis valde esse cumulatum, te tentationibus non affligi, te nullum timere malum; ac propterea cum oratione non indigeas; putas, nec illa alios Fideles indigere. Sed pergit Author eod. num. 4.

5. TAMB. Perum tametsi sentiremus, directè hoc Præceptum nos obligare, non est nobis in eo explicando diu immorandum, cum illud facile ab omnibus impleatur, quis enim tam perditus est, ut aliquando Pater, & Ave Maria non recitet, vel alio modo auxilium à Deo non imploret?

6. Vel à perditis Author dicit servari hoc præceptum, & est, quid dicat, illum ejusmodi præceptum negare?

CAPUT V.

De Distractiōe in orando.

1. BARON. IV. **E**T inter orandum liberam mentis distractionem (Tamburinus) permittit, etiam dum intersis Sacro.

Producamus germanam, integramque nostri Authoris doctrinam.

De Intentione, & Attentione in orando.

2. TAMB. num. 7. Nisi intendas, orare, (ait lib. 2. in Decal. cap. 4. à num. 7.) licet orationem ore fundas, vel mente obvolvās, orationem Deo non porrigis; satis tamen est voluntas implicita, seu virtualis: quare si Breviarium legas, v. gr. ut studeas, non oras; at si Breviarium legas cum intentione orandi, etiam si ab illa intentione actuali cesses, adhuc oras; quia remanet voluntas orandi nondum retractata in ipso effectu quo Breviarium legis.

Requiritur item attentio sive interna, sive externa, quæ triplex est ex S. Thom. 2. 2. quæst. 83. à 13. ad Verba, ad Sensum Verborum, ad Deum.

3. Cum nulla attentione voluntariè orare, an sit mortale dixi satis Opusc. de Sacrific. lib. 2. cap. 9. & infra cap. seq. repetam. Saltem autem esse veniale, omnes supponimus, quia irreverentia tandem aliqua est, cum Deo loqui, Atio mentem voluntariè divertendo.

Et de audiendo Sacro sic habet germana Tamburini doctrina.

4. TAMB. num. 19. Nono (ait lib. 2. in Decalog. cap. 2. §. 1. num. 19.) desideratur attentio, estque communis questio cum attentione ad divinum Officium, necessariam esse attentionem internam, hoc est internam applicationem mentis ad Missam, vel Officium, sive ad verba sive ad verborum sensum, sive ad Deum, docent communiter Doctores, Vasquez, Sanchez, Suarez, innumerique alii citati à Diana, p. 3. de Horis Can. Ref. 2. vide etiam p. 3. tract. 4. Ref. 101. ubi de Missa. Oppositum, id est, solam externam satis esse ad evitandum mortale, docuerunt antiquiores multi, Sylvest. Durand. Medina, S. Anton. alique, quos refert Diana. Ex recentioribus Coninck, Gasp. Hurad. Diana, & probabile vocant Less. Henric Victor. Layman. Novissime denique Io. Delugo de Euchar. d. 22. sect. 2. num. 27. prædictos citans, optimis rationibus id confirmat. Unde & ego, sicut in Opusc. 3. de Sacrificio Missæ, lib. 2. cap. 3. ita hic idem probabile iudico.

Hæc autem externa attentio consistit in negatione distractionis externæ, id est, in negatione eius negotii, vel occupationis externæ, quæ ex se distractiva sit mentis ab auditione Missæ; quale esset, v. gr. velle Historiam legere, consabulari, ludere, depingere, scribere, & similia.

Ratio potissima hujus probabilis sententiæ est, quia falsum assumunt adversarii, dum contendunt actualem internam attentionem esse de substantia orationis; unde cum Ecclesia præcipiat orationem, necesse est, præcipere etiam dictam attentionem; falsum, inquam, id est, quia omnes fateri oportet, absque ea posse consistere orationem.

5. Patet id in forma Extreme Unctionis, quæ est substantialiter oratio, & tamen si Sacerdos sive voluntariè, sive involuntariè distrahatur, adhuc conficit Sacramentum; signum estigitur, substantiam orationis non dependere in suo esse ab actuali attentione. Patet iterum, quia orare, est loqui cum alio, at certe ego tecum loqui possum, licet non attendam; ut esset si ex scripto, vel verbis memorie traditis, tecum agerem; imò & cum Rege, & cum Principe, interim aliquid aliud cogitando. Patet denique in eo, qui ex scripto, vel sine interna mentis attentione loqueretur cum Excommunicato vitando, vel Professionem in Religione emitteret; nam & ille in excommunicationem incideret, & hic veram emitteret Professionem, si intendisset ille loqui, & hic emittere. Aliud enim est intentio interna, quæ omnino est necessaria, de qua locuti sumus num. præc. & sufficit virtualis diximus in Opusc. 2. de Sacr. Missæ, lib. 2. cap. 1. §. 2. aliud attentio interna (quam non esse sub mortali, esto sub veniali, supr. lib. 2. cum de orat. &c. necessariam hic affirmamus). Cum enim ex dictis attentio actualis interna non ingrediatur orationis essentiam; unde certo habet, Ecclesiam, quotiescumque orationem præcipit, præcipere & attentionem? Nisi certo habeas, non debes onus tam gravis legis certo Fidelibus imponere.

Alia minutoria in hanc rem, præsertim vero oppositorum solutiones vide apud citatos.

6. Jam vero cum tot insignes Doctores hanc amplectantur sententiam (sed cum illa Additione de Atten-